



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. I. De dissolvenda Amicitia aut retinenda.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

Inchoatam de Amicitia disputationem deinceps in libro nono plenius persequitur.

CAP. I.

De dissolvenda Amicitia aut retinenda.

Unde conciliatur amicitia?

Morum, similitudo, & mutua benevolentia seu redamatio, amicitiam conciliat & conservat.

Si igitur amicorum alter mores suos mutaverit, ut quem existimaveris bonum, aperte jam malum conspicias, estne cum eo amicitia retinenda, vel mox resolvenda?

Non statim dissolvenda est amicitia, sed danda opera est, ut amici pravos mores corrigamus; eumque in pristinum statum, si fieri possit, reducamus. Quod si fieri nequeat, dissolvenda magis sunt, quam discindenda amicitia improborum hominum.

Potestne inter homines sceleratos esse amicitia?

Nullo modo. Ejusmodi enim per malam conscientiam qua affliguntur, aliis neque coluctari neque condolere possunt: Est igitur inter malos non amicitia, sed conjuratio seu factio quaedam. Quamvis enim contingat nonnumquam, ut in patrandis sceleribus pravi consentiant, illa tamen consensio & unanimitas non diu consistit. Hinc amicitia cum sit virtus, in malis locum non habet.

Suntne idem, benevolentia & amicitia?

Non: Benevolentia enim erga ignotos esse potest, amicitia non item: Item omnis amicus est benevolus, non autem e contra.

*Amicōne magis, an alii viro probo est in-
serviendum?*

Ad circumstantias & occasionem est respiciendum. Quod si amicus in summis vitæ periculis sit constitutus, relicto bono viro, qui nostri auxilii indiget, primùm amico est inserviendum.

Amicus potestne esse φίλος?

Φίλος, si pro eo intelligatur, qui omnia sua consilia, facta dictaque, adeoque ipsam mentem eò confert, ut justus ac modestus sit in omnibus vitæ suæ actionibus, nō erga se solum, sed etiam erga alios: hac sanè significatione quilibet bonus amicus quoque φίλος, id est, amans sui dici potest.

*Felix cūm omnibus bonis abundet, & ex se sibi
sufficiat, indigetne amicis?*

Absurdum est felicem, cūm ei omnia bona tribuantur, amicis spoliari. Nemo enim eum, qui cūm omnibus bonis affluat, vitam tamen solitariam ducat, beatum dicit.

Debetne igitur multos amicos conciliare?

Tot conciliabit quot ad conservationem opus habuerit, & honestam vitam: multorum neque sit hominum, neque nullius hospes, ut inquit Hesiodus.

Potesunt

ETHICÆ LIBER IX. 75

Potestne multorum quis esse amicus?

Amicitia vera tantum inter duos consistit: unde si quis multos habeat amicos, omnibus familiariter occurrat, & suaviter cunctis con-
verletur & colloquatur, ille nemine verè, sed civiliter tantum amare videtur. Hinc non amici, sed obsequiosi propriè hujusmodi homines dicuntur.

Qui dicuntur civiliter amare?

Qui dicta factaque omnium eorum, cum quibus versantur, laudare & admirari consueverunt, neque illis unquam ulla in re adver-
santur: Quamobrem obsequiosi etiam dicuntur, quod omnibus obsequantur, vel rectè obsequi videantur.

Amici anne magis in tempore infortunii, an tempore bonæ fortuna sic appellandi sunt?

Amicorum præsentia omni tempore suavis est. In rebus adversis quidem magis necessariū est, habere amicos: in rebus autem prosperis, honestius.

LIBER X. ETHI-
CORUM.

Argumentum libri decimi.

Cum proposuisset Aristoteles in Ethicis proponere, quisnam sit finis hominum, & quæ felicitas, & quibus mediis eam assequi possimus, tandem illis absolutis progreditur rursus ad felicitatē, eam non consistere in voluptate, docens.